Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26002
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Ve tibi corozaim ue tibi bethsaida. Corozain bethsaida et capharnaum tybe
rias quoque quam iohannes nominat. ciuitates sunt galilee site in litore laci ge
nesareth qui iordane influente efficitur. et abeuangelistis etiam mare galilee uel
mare tyberiadis appellatur. Plangit ergo dominus ciuitates que post tanta miracula
atque uirtutes non penituerunt. peioresque gentibus qui naturale solummodo ius dissipabant post descripte legis contemptum filium quoque dei conculcare. gratiamque ingrati
spernere non timuerunt. Quia si in tyro et sydone facte fuissent uirtutes
que in uobis facte sunt. olim in cilicio et cinere sedentes penituerent. Impletum
uidemus hodie dictum saluatoris quia scilicet corozain et bethsaida presenti
domino credere noluerunt. Tyrus autem et sydon. et quondam dauid ac sa
lomoni amice fuere. et post euangelizantibus christi credidere discipulis. tantaque
fide deuocione susceperunt ut paulum apostolum tyro abeuntem cuncti ciues cum
uxoribus et filiis usque foras ciuitatem prosequerentur. pulcherrimoque specta
culo tanta hominum multitudo paucissimos hospites. sed pro christi fide carissi
mos ad naues usque uale factura deduceret. Sed quare non olim his qui crede
re potuerunt. uerum iudeis qui credere noluerunt. sit euangelizatum. ipsius scire est
cuius uniuerse uie misericordia et ueritas. Sane quod dominus ait in cilicio et cinere sedentes
penitentes. In cilicio quod de pilis caprarum contexitur asperam peccati pungentis
memoriam quam die iudicii sinistra pars est induenda significat. In cinere autem
mortis considerationem. per quam tota humani generis massa in puluerem est redigen
da demonstrat. Porro in sessione humiliationem proprie conscientie designat. De
qua psalmista. Surgite postquam sederitis. Quod est dicere, Humiliamini sub potenti
manu domini. ut uos exaltet in tempore uisitationis. Et tu capharnaum usque in
celum exaltata. usque ad infernum demergeris. Duplex in hac sententia sensus est.
uel ideo ad infernum demergeris quia contra predicationem meam superbissime re
stitisti. uel ideo exaltata es usque ad celum meo hospicio ex meis signis atque uirtu
tibus. tantum habens priuilegium maioribus plecteris suppliciis. quod his quoque
credere noluisti. Et ne quis putaret hanc uituperationem illis tantum modo ciuita
tibus uel personis [...] que dominum in carne uidentes spernebant et non omnibus
qui hodie quoque [...] euangelii uerba despiciunt conuenire. consequenter
adiunxit dicens [...] Qui uos audit me audit. et qui uos spernit me spernit.

Ut in audiendo quisque uel spernendo euangelii predicatores non uiles quasque personas
sed dominum saluatorem. immo ipsum patrem spernere se uel audire disceret.
Nam sequitur. Qui autem me spernit. spernit eum qui me misit. Quia procul du
bio in discipulo magister auditur et in filio pater honoratur. potest etiam
intelligi. qui uos spernit me spernit. qui non facit misericordiam uni de fratribus meis
minimis nec mihi facit. quia et ipse pro his formam serui et pauperis habitum
suscepit. Qui autem me spernit nolens credere dominum. et filium dei conculcans.
spernit eum qui me misit. quia ego et pater unum sumus. Reuersi sunt autem